Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2031
Quelle:
Copyright:

nu. Benignam ſane praeſtaret operam Exemplar iſtud ad numeroſa, quibus Editio ſcatet, menda tollenda. En ſpecimen. In Epiſtola addit Codex: *quatenus memoriam tui omnium orationibus liceat iugiter intereſſe.* In Reſponſo lege *Petens vos* pro *Patiens. Vento ſancti ſpiritus* pro *ſpem ſeminis.* In Praefatione *a Deo abſtractam* pro *ideo. gemma auro* pro *aurum gemma.* In Opere c. 1. *in qua agitur* pro *in quo.* C. 2. *a quatuor* pro *quatuor. Qui ad miſſam* pro *qui ad Veſperas. A diabolo liberat.* pro *liberans.* &c. Neque ſententiarum collocatio ubique ſibi reſpondet. Diviſio in IV. *Libros* non notatur, Titulique Tractandorum in ſolo margine adſiſtunt.

DCCCXXV.

R. 3104 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 90. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas eleganter deſcriptus, rubricis diſtinctus, et olim *Monaſterij S. Dorothee in viena* haec habet: I. *Incipit liber de miſſarum myſteriis editus a Lothario ſancte romane eccleſie dyacono cardinali.* Et ab alia manu: *Innocentius de officio miſſe*, nempe III. iſtud enim nomen *Lotharius* creatus Pontifex adſumſit. Retuli bis Tractatum hunc *Vol.* I. alias in VI. Libros diviſum, quorum in praeſenti Exemplo nulla mentio ſolis Rubricis Textum diſtinguentibus. Contuli eum cum Editione *Opp. Innocentii Colon.* 1552. deprehendique ab eo abeſſe totam Expoſitionem Orationis Dominicae, quae in Edit. L. V. *Capita* XVII — XXIX. conficit, et decurtatam eſſe *Libelli Concluſionem*, quae poſt Edit. verba: *ut infra breue temporis ſpatium nec ad* — ita praecipitat: *me uerſus uix finire que cogitaui valui.*

II. *fol.* 39. *Poſtilla ſuper Cantica.* Incipiunt: *Oſculetur me &c. Deſcenſus ad ſententiam trahitur de illa Gloſa. Omnes anime mociones* &c. Ita et per decurſum *Gloſſam Ordinariam* compilat ignotus Autor. Idem inſtituit agere circa *Parabolas* et *Eccleſiaſten*, ſed adhaeſit in Prooemiis.

III. *fol.* 63. absque inſcriptione eodem modo illuſtrat *Epiſtolas VII. Canonicas* ita exorſus: *Juxta numerum euangeliſtarum IIII^or cognouimus fuiſſe auctores canonicarum epiſtolarum. S. iacobus. petrus. iohannes. et iudas* &c.

Tabulae Codicis interius conveſtitae ſunt conſciſſis laciniis Commentarii cujusdum Rabbinici, in quo ſermo de קול דמי אחיך עב׳ קין שהרגאת אחיו; Verum nulla linea integra.

DCCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3161 XIV. Folior. 78. 8. per duas columnas bene, ſed non una manu ſcriptus, rubro diſtinctus, et quondam *Monaſterij S. Dorothee wienne* ita init: *Incipit prologus de diuino officio domini alberti de ordine predicatorum epiſcopi Rathiſpon.* Initium: *Ecce ego declinabo in vos ſicut flumen pacis* &c. *De Sacri-*